Disputatio Juridica,

DE

Transactionibus.

QUAM

Dante Deo O. M.

Ex Auctoritate, Clarissimi ac Consultissimi Viri,

D. D. *ROBERTI BENNET,*

Inclytæ Facultatis Juridicæ DECANI:

Nec non

Ex ejusdem *Facultatis* Consensu & Decreto,
pro *Advocati* munere consequendo,
Publicæ Disquisitioni subjicit.

JOANNES ARESKINE. Auth. & Resp.

Ad Diem *Februarii.* *H. L. Q. S.*

EDINBURGI,

Ex Officinâ Typographicâ Hæredum *Andreæ Anderson,*
Anno DOM. 1700.

Erskine (Sir John) 1672 - 1739
Bennet (Robert)

GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY:
S.M.3003

AMPLISSIMO, NOBILISSIMO, ac POTENTISSIMO

DOMINO,

D. *JOANNI* Comiti de *Marr*, Domino *Areskine*, *Garioch* & *Aloa*, &c.

Gentis *Areskinorum* Principi.

Arcis *Stirlinenſis* Conſtabulario, ac Præfecto Hæreditario.

A Secretioribus hujus Regni, & *Scaccarii Conciliis*.

Haſce Theſes, D. D. D. Q.

JOANNES ARESKINE.

Disputatio Juridica,

DE

Transactionibus.

QUantum reipublicæ interſit lites componi, & quanta utilitas ex tranſactionibus huic accedat, teſtem habemus Ciceronem: qui *lib.* 1. *de leg.* Ita ſcribit, ſicut enim *reipublicæ ſalus, litium multitudine magnopere premitur, ſic ea ſolide tranſactionibus firmatur, cum lites finiantur.* Ut itaque ordine progrediamur, ipſius verbi explicatione, initium ducimus.

THESIS I.

VOX *tranſigere* (ſi originem ejuſque compoſitionem ſpectemus) proprie ſignificat ultra agere, vel idem quod tranſadigere: quo tamen ſenſu, rarius invenitur.

Sed latius accepta, pro aliquid finire, negotium perficere seu terminare, sæpissime usurpatur: ut in *oration. Pro Roscio, in Catalinam, &* passim apud Ciceronem. Sic etiam in usu juris, *l. 63. §. fin. ff. de acq. rer. dom. l. 3. C. de fruct. & lit. expen.* Stricte denique sumpta, est quâ, dubia actio & causa, mutuâ partium conventione, tollitur: quo sensu hujus dissertationis objectum est.

I.

Ex variis transactionis definitionibus, quas diversi tradunt interpretes, accuratior mihi videtur, illa, quæ a Cujacio aliisque usitatur: quod sit, *de re dubiâ, conventa decisio, non gratuita.* In quâ, ejus requisita distinguentia, satis apparent. Ut sit de re controversâ & incertâ, & ut fiat, aliquo dato retento vel promisso,

II.

Quæritur, Num transactio sit pactum an contractus cum vero pro variis occasionibus non solum his sed & stipulatione acquiliana aliisque intervenientibus, fieri possit: potius transactionis faciendæ modus, quam ejus generi, anumeranda existimo adeoque interdum unius, interdum alterius, nomine exprimitur.

IV.

Satis constabit, quinam transigere possint, si prius videamus qui naturâ aut lege impediantur; ceteros enim transigere posse, non dubitandum. Cum vero consensus de transactionis essentia sit, hinc patet, eos qui intellectum aut animi judicium non habent, transigere non posse: quales furiosi, mente capti & infantes, ob vitium vero vel morbum corporis, nemo impeditur dummodo mens sana sit.

V.

Transactio in plerisque alienationis ad instar est, adeoq; pupillum etiam pubertati proximum, minorem Curatores habentem, ac prodigum, qui alienare non possunt; non recte transigere asserimus. Si vero minores sine curatoribus constituti sint, etiamsi intra tempus legitimum, in integrum (si læsio adsit) restituantur, eorum tamen transactiones ipso jure valent.

VI.

Quidam, alieno quoque nomine recte transigunt, dum, ad hunc effectum legis aut eorum pro quibus agunt authoritate vestiantur, procuratori itaque, qui speciale seu etiam generale cum libera administratione, mandatum habet, nec non tutori & curatori, pro mandatario, pupillo, & minori, transigendi facultatem merito tribui, non est dubium,

VII.

Ex dictis patet rei incertæ tranſactionis objectum eſſe adeoq; de re judicata, eam fieri non poſſe, niſi Sententia nullitatem aliquam in ſe contineat, vel ab ea appellatum ſit aut ſaltem appellari poſſit; his æquiparantur ſi in curia Suprema reviſio impetrata vel quoad minorem, ſi reſtitutio in integrum poſtulata ſit, quibus omnibus in caſibus dubius adhuc eſt eventus, & ſic tranſactio bene procedit.

VIII.

Ut quæſtioni, num ſcilicet ſuper cauſâ matrimoniali recte ineatur melius ſatisfiat: Diſtinctione hac utendum. quod ſi perficiendi, conſervandive Matrimonii gratia, fiat, valet tranſactio. Sed ſi ad diſſolvendum matrimonium comparetur, nulla eſt. Quamvis ſententiam plane oppoſitam, quam plurimis (preſertim hoc ſeculo) multo magis gratam fore nullatenus dubito. In contraverſia libertatis, eadem eſt ratio, valet enim ſi pro libertate concepta ſit, at ſi contra eandem non valet.

IX.

Tranſactionis, ſuper tutelâ inter plures contraverſâ, nulla eſt vis: cum eâ non obſtante, judex eundem quem jure expedit pupillo tutorem decernet. Eadem quoque erit ratio, ſi de tutoris remotione, vel pupilli educatione, agatur, in filiationis verò quæſtione non idem.

X.

X.

De alimentis teſtamento relictis, pro futuro, non bene tranſigitur; niſi prius cauſâ cognitâ, ſed quin, de preteritis,& iis quæ ex contractu debentur recte fiat, non dubitandum. Cæterum non ſolùm de his, ſed & omnibus aliis, quæ teſtamento continentur, tabulis nondum inſpectis, tranſactiones invalidantur. A pari, itaq; inter tutorem & minorem, non niſi viſis ac redditis rationibus, recte fieri poteſt.

XI.

L. 18. *C. h. t.* Continet ea crimina de quibus tranſigere licet, ubi *Imp.* *Diotles & Max.* plane indicant, quod de omnibus, quæ ſanguinis pœnam irrogant, adulterio excepto licita ſit tranſactio. De ceteris autem, crimine falſi excepto, nullatenus permittenda ſit, quam deciſionem non obſtante quod textus aliter à quibuſdam interpretetur amplectimur.

XII.

Tranſactionis effectus iidem, qui rei judicatæ ſunt, eaſdemq; vis, *L.* 20. *C. h. t.* Ideoque Fidejuſſor, per debitoris tranſactionem apud Creditorem procul dubio liberatur. Et ſi ſemel tranſactio perficiatur, firma ſemper manet, niſi dolum malum interfuiſſe probetur: quo caſu, tranſactio everti poteſt, ut etiam ob inſtrumenta falſa, nec alias cauſas, a tranſactione ſemel legitime inita, recedendi agnoſcimus.

COROLLARIA.

I.

Transactio est Juris gentium.

II.

Princeps, quamvis legibus solutus, attamen cum subditis recte transigit, & transactioni stare tenetur.

III.

Procurator principis, ipso inconsulto, transigere nequit.

IV.

Populus de libertate sua abdicanda, transigere nequit. ac si transigerit, libertatem recuperare non prohibetur.

V.

Vassallus super feudo, non annuente Domino, transigere prohibetur.

VI.

In emptorem hæreditatis non transit jus accrescendi.

VII.

Id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri non potest.

VIII.

Venditor si facultatem habeat rei tradendæ præcise ad tradendum cogi potest.

FINIS.